... Hunnes ...
...łoczących się między sobą jak Kuturgur...
...rgierow, Wołoszczyznę i Moldawę jeszcze
...kiem 553. na Gepidach zdobyli, a w r. 557.
...Longobardom do zupełnego zniszczenia tychże
...po krwawej bitwie, w której Chunimund
...ego posiadacz zginął, Pannonję i Norykum
...z niemi: po wyciągnięciu zaś Longobardow
...całkiem objęli. Wyprowadza to Pray in
...veter: Hunn: Avar: et Hungar: pag: 198, idąc

Kownacki [illegible]

BEATO SERVO DEI

JACOBO

DE NOBILI

STREPARUM

GENTE

ARCHIEPISCOPO

HALICIENSI

EX

ORDINE MINORUM CONVENTUALIUM

Festiva Translationis Reliquiarum Ejus Die, & anniversaria publicatæ de immemorabili Cultu sententiæ,

Studium Theologicum Leopoliense Ejusdem Ordinis pro implorando Illius Patrocinio

CONCLUSIONES

DEVOTO CORDE

D E D I C A T.

LEOPOLI,

Typis ANTONII PILLER, S. C. R. A. M. GUBERN. TYPOGR.

IMPRIMATUR.
LUCAS STANISLAUS
DE GODUROW
GODUROWSKI
Prim. Offic. & Vic. in Spir. Gen. Leop.



ORATIO
IN LAUDEM
BEATI JACOBI
STREPÆ
ARCHIEPISCOPI HALICIENSIS
EX ORDINE
MINORUM CONVENTUALIUM.


Duæ res ſunt Auditores, quæ Oratorum animos vehementius commovere poſſunt; cauſæ ſcilicet, de qua agitur, gravis conditio, & eorum, coram quibus verſatur, dignitas & amplitudo, ea-



rum nulla perturbari me ſinit, imo verò incredibilem ad dicendum ſuppeditat alacritatem. Si enim rei, quam exponere intendo, ſtatum intuear, perorandum mihi eſt de Beato Servo Dei JACOBO STREPA Archiepiſcopo Halicienſi, Cujus Translationis Sacrarum Reliquiarum ad ſepulchrum honorificentius in anno poſt milleſimum ſexcenteſimo vigeſimo ſexto (*a*) hodie dies anniverſaria occurrit, Illius quanta ſint

me-

(*a*) Die 20 Octobris 1626 cum magno applauſu Reliquiæ B. Jacobi translatæ, quæ dies apud Authores feſtiva habetur. In Martyrologio Arthurii Pariſiis 1653. edito ſic habetur 20 Oct. *Haliciæ nunc Leopoli quæ eſt Metropolis Ruſſiæ B. JACOBI Ejusdem urbis Archi-Epiſcopi, paſtorali ſolicitudine & Virtutibus Apoſtolicis Illuſtris.* Et in Libro Menologium 1698. in Bavaria impreſſo ſic ſcribitur in indice: *JACOBUS de Leopoli 20 Octobris Confeſſor.* Alibi autem ampliſſimè deſcribuntur laudes. Eadem die Anno 1778. promulgatum Decretum conſtare de cultu publico & caſu excepto à Decr. S. M. Urbani VIII. per Ill. Rev. DD. Criſpinum de Cieſzkow Cieſzkowſki Epiſ. Nyſſenum Cuſtodem, Lucam Stanislaum de Godurow Godurowſki Primicerium, Offic. & Vicar. in Spirit. Generalem, Mathiam Pruſki Canon. Gremial. & Judic. Ordin. Metrop. Leop. Judicem delegatum & Adjunctos, Stanislaum Soſzycki Coll. Leop. & Cath. Kijov. Canonicum, [illegible] Commiſſionis Actorum Nota-



merita, patrii exterique Scriptores memoriæ tradiderunt. (*b*) Sive eorum, coram quibus verba facere intendo, optimam voluntatem ac notitiam conſiderandam mihi proponam, rem mihi eſſe in conſpectu veſtro Auditores ſentio, Qui Rectefactorum Hujus Præclari Antiſtitis optime conſcii, ac dilatandæ Illius gloriæ ſtudioſi. Quid igitur eſt, ut vel ſuſceptæ Provinciæ diffidam, aut illam minus alacri animo aggrediar? Quod cum facio tanta fretus fiduciâ, Beati Jacobi Archiepiſcopi merita nobis ceſſiſſe in commodum & exemplar demonſtraturus, vos quæſo, obteſtorque Viri graviſſimi, ut ſi Illius geſta pro ſua dignitate non explanavero, meæ quidem tenuitati, multo autem magis eorum amplitudini putetis tribuendum.

Illuſtrium Virorum dum terras incolerent vel ipſa ætatis primordia adeo Divino

 quo-

(*b*) Scriptores vitæ ſunt ex Polonia: Dlugoſſus in Annalibus. Scrobiſſovius in vitis Archi-Ep. Marcus Corona in ſpeculo & in tota concione. Okolſki in Ruſſia Flor. Starowolſki in monumentis. Żimorowicz in lib. M. S. Leopolis triplex. Kowalicki in Conc. Nieſiecki inter ſtemm. Jozefowicz in Annal. M. S. & alii plurimi. Ex exteris autem Vadingus ad An. 1391 Martyrologium Arthurii 20 Octóbris. Menolo-

quodam munere plerumque novimus claruiſſe, ut ad quam virtutis & gloriæ maturitatem eſſent perventuri non obſcuris indiciis ſignificarent. Quod ſi unquam ab omni memoria vetuſtatis repetita rerum experientia ſciamus compertum fuiſſe, in hoc de quo loquimur celeberrimo Dei Servo omnino contigiſſe non eſt ambigendum. Ex florentiſſima tunc divitiis & ſupremis in Polonia honoribus Streparum gente prodiit Jacobus, Divinæ Myſteria Fidei edoctus, ſingulari morum candore, levitatum, quibus illa ætas irretiri ſolet, odiô, ſupernorum amore, Franciſcani Inſtituti deſiderio apertiſſimum futuræ Sanctitatis & laudis dedit præſagium, quod certe effectu non caruiſſe luculenter deducitur, cum Jacobus Ordini quem ingreſſus, Archiepiſcopali Dignitati, cui virtutum excellentia pretium addidit, & Patriæ Senatorio honore ſingularius extitit ornamentum.

Et imprimis, ſuſcepta in Religione Seraphica vivendi regulâ, cum Jacobum novis votorum ſtimulis ad altiora perfectionis culmina properantem viderent, ſingulari quodam amore ac benevolentia Superiores Ordinis complectebantur. Admirati ſi-

quidem in Eo præſtantiſſimam ſcientiarum peritiam cum inſigni humilitate conjunctam, juvenilem ætatem cum peculiari morum gravitate atque prudentia copulatam, exactam regularis diſciplinæ obſervantiam ab humanitate, officio, comitate minimè ſegregatam. Hinc cum ſocietas Peregrinantium de Ordine Prædicatorum & Minorum à ſummis Pontificibus inſtituta *(c)* in Ruſſiæ partibus, ubi Meſſis quidem multa, operarii autem aderant pauci, pro convertendis infidelibus exigeret adjutores, Jacobus Leopolim miſſus tanta aſſiduitate, diligentia, religionis zelo, ac martyrii deſiderio collatum munus exercuit, ut plures miſeras animas errorum vitiorumque cæno involutas, a diaboli ſervitute, in qua diu multumque adſtrictæ ferrea voluntate jacuerant, omni prorſus labe purgatas, in filiorum Dei libertatem feliciter aſſeruerit. Neque enim aut humana prudentiæ carnis dictamina, aut potentum invidia, aut voces

 male-

(c) Innocentius IV. Summus Pont. ſocietatem Frarrum Peregrinantium inſtituit Anno 1252. ex Ordine Prædic. & Min. aliique Pontifices confirmarunt, multis privilegiis eam donarunt, quæ duravit uſque ad An. 1430 quando omnes Vi-

malevolorum, vel conatus Schiſmaticorum efficere potuerunt, ne contra errores declamaret, ne totis quibus poterat viribus malos mores evellere conaretur. Quod cum Bernardus Haliciensis tunc Archi-Epiſcopus oculis auribusque perciperet, Jacobum virtuoſum pro ædificanda Eccleſia Dei operarium appellavit. Cum vero in Jacobo zelum fortem quidem non tamen aſperum & humanitatis expertem ſed admirabili prudentiæ ſociatum Superiores adverterent, publicæ fidelium & privatæ Ordinis utilitati conſulere volentes, prius Conventus Leopolienſis regimen contulerunt, mox ſocietati Fratrum Peregrinantium Vicarium Generalem præfecerunt. Quo dignitatis onere non ambitus execrabili vitio, ſed obedientiæ virtute ſuſcepto, nihil antiquius habuit, quam ut forma fieret gregis, ſingulasque regularis diſciplinæ Magiſtri partes adimpleret. Interea vero ſollicitus ne dum aliis præerat authoritate & imperio, rebellis adverſus ſpiritum caro ſibi ipſi dominaretur, ciliciis, inedia, vigiliis, atque omni mortificationum genere ita eam afflixit, ut in ſervitutem perpetuam plane redigerit. Admiramini fortaſſis Auditores



Apoſtolicam vivendi rationem in Jacobo? jam Religionis umbras, non tamen habitum, humilitatem, moresque optimi Religioſi deſerentem, attendite.

Cum poſt Bernardi Archiepiſcopi Halicienſis obitum, qui ex aſpero zelo multorum uſque ad ultimum diem invidiam paſſus, viduato ovili quæreretur Paſtor, à Bonifacio IX. Qui certis de cauſis ea vice præſentationem proviſionemque ſibi reſervaverat, (*d*) renuntiatus Jacobus, Cujus celebris virtutum fama perſeverabat, & Qui à Vladislao Jagellone Poloniarum Rege aliisque commendabatur. Honorem illum ſuſcepit, ne beneficentiam Pontificis & Principis Religioſus contemnere videretur.

(*d*) In Bulla Conſecr. ſic habetur: Dudum ſiquidem bonæ mem. Bernardo Archiep. Halic. regimini Halicien. Eccleſiæ Præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem & idoneam præſidere Perſonam, Proviſionem Ejusmodi Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam &c. Demum ad Te Ordinis Minorum - - cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia & temporalium circumſpectione aliisque multiplicum virtutum meritis apud nos fide dignorum teſtimonia per

tur. Cum vero animarum Paſtorem, Qui in terris ſolius Dei inviſibilis nomine præſidet, populumque ad præfixum in cælis finem dirigit, dignum ſit iis fulgere virtutibus, quibus divina Authoritas reſplendeat, humaniſque oculis bene vivendi forma præſto ſit, in ſupremo Archi-Præſuleæ Dignitatis ſolio qualem ſe Jacobus præſtitit, teſtem appello hanc urbem nec dum, tunc Metropolitica Sede ornatam, viderat Eum viderat vitam deinceps ita inſtituiſſe, ut Religioni ſimulque honori optime conſuleret. Apoſtolicis ille fulgebat virtutibus, atque ideo Dominum ſuo regimini ita benedixiſſe viderat, ut Principibus & Baronibus plurimis almi ſpiritus gratia tunc ad fidem converſis Eccleſia plurimum lætaretur. Propagabat ille Eccleſias, in Eccleſiis Sanctiſſimi Sacramenti Virginiſque ſine labe conceptæ cultum maxime propagabat. Nollem vero liberalitatem Ejus, aut potius charitatem, qua egenis, ac monaſteriis ſubvenire ſtuduit, reticere, quibus præter alia etiam ſuæ menſæ decimam dari ſolitam de conſenſu cleri donavit, vel alios ad ſublevandam eorum inopiam ſacris Indulgentiis incitabat, at cum amore Chriſti facta non

humanam laudem ſed æterna quærunt præmia, ideo ſilentio præterire poſſum. Aſt illud haud ſatis verbis efferri poteſt, quoq cum aliis benefaceret, cum Eccleſias calicibus pretioſiſque Apparatibus ditaret, adeo paupertatis extitit amator rigidus, ut teſtamento, quod decennio ante obitum condiderat, vix aliquid invenerit diſponendum (*e*) Cum vero eſſent permulta, quæ hominum benevolentiam conciliarent & præclarum redderent apud omnes, veluti ſumm integritas, vera humilitas, & exacta morum ſuavitas, tum denique in negotiis tractandi & perficiendis prudentia ac juſtitia, ide pro dirimendis litibus ſæpe Ejus authorita petebatur, cujus opera uſus Innocentius VII Summus Pontifex pro reſolvendis in ha civitate controverſiis ſatis arduis. (*f*) E cum hæc Vir Beatus ageret etiam publica ab urbe calamitates removere amator Civium ſatagebat. Sine lacrymis eorum temporum adhuc recordari non poſſumus, quibus civitas hæc tot tantiſque malis opprimebatur, cum ferina Tartarorum barbarie graſ-

(*e*) Extat hoc Teſtamentum apud Scrobiſſovium i vitis Archiep. & apud alios.
(*f*) Bulla ab Innoc. ſic incipit. Promptos & facile

graſſaretur inſolentius, atque tecta, fora ge-
mitibus impleret, unoquoque de ſalute
ſua anxiis cogitante, aut fugâ, aut antris ſe
ſe tueri ſtudente, ſed ubi hoſtes reprimen-
di vires deficiunt, Piiſſimus Paſtor cæleſte
fuærit auxilium. Nec defuit votis Servi
ſui Deus, cum enim quotidianam devotio-
nem ad Beatiſſimam Virginem MARIAM
in Ejus Eccleſia Parochiali adhuc in ſubur-
bio inſtituiſſet, ſingulisque diebus ante oc-
caſum ſolis devotas preces cum ſuo grege
pro pace perſolveret, immiſſo divinitus ho-
rore perterriti hoſtes ſine civitatis damno
quod timebatur, aufugerunt. *(g)*

Magna ſunt quæ advertitis Auditores,
ſed niſi in publicam utilitatem tenderent, mi-
nora certe exiſtimatione omnium viderentur.
Licet enim ſatis eſſe probatur ſpirituali Viro
propriæ animæ curam habere, longe tamen
perfectiori modo Divinæ Vocationis por-
tat onus, ſi conatum & ſtudia in commune
conferat commodum. Majora certe fecit
JACOBUS cum probi Senatoris fungeretur
officio, qui non ſolum ſpiritualia curabat,
ſed etiam graviſſimis in negotiis afflictæ
Pa-

(g) De inſtitutione Devotionis teſtatur Inſtrum.

Patriæ præſto aderat ita, ut poſt ampliſſi-
ma geſtorum pro Illius ſalute documenta
Tutoris Patriæ nomen obtinuerit. Ille ſi-
quidem publicam Populi tranquillitatem
ſaluberrimis juvabat conſiliis, ille hoſtium
crebris incurſionibus ſe ſtrenuè opponebat
(h) Quæ igitur commoda, quæ ornamen-
ta non profluxêre in ordinem, Eccleſiam
Regnum, quibus tantopere dum vixit he-
roicis præluxit virtutibus? ut habeant om-
nes undequaque quod avidius imitentur &
ſingularius admirentur. Et cum hæc Ar-
chi-Præſul Eggregius glorioſo animo &
nullis ſæculis obliterando nomine ageret
tot curis confectus, ætate fractus, laboribus
conſumptus, veluti fax, quæ cæteris præ-
lucet, ſibi minuitur, vitam fragilem atque
fugacem erecto in æternam corde religioſe
deſeruit. At non ideo ſublata eſt tanti
viri memoria conſpicuæque ſanctitatis fama
innumeris apud omnes meritis illuſtrata
JACOBUS enim poſtquam ab hominibus
exceſſit, pietati congruum nactus ſepul-
chrum, & ab aliis cadaveribus penitus ſe-
cretum; tantam ſibi vidit accreſcere gloriam
& ſuis

(h) Annales citati à Scrobiſſ. Vadingo & aliis. Tu

&c suis in meritis devotorum fiduciam, ut etiam Insula Ejus veluti divi Pauli strophia ægrotos sanaret. Tumuli autem situs dirissimarum quidem hostilitatum occasione oblivioni traditus, singulari tamen disposi-tione Divinâ in anno supra millesimum sex-centesimo decimo nono patefactus. Ea quidem die & hora cum renovata esset devotio ab Eo instituta ad implorandum Deiparæ Patrocinium, in Ecclesia hac Sanctæ Crucis circa sacrarium in muro apparuit species incorrupti Archi-Præsulis Pontificalibus Insigniis decorati. Sacrum Cadaver svavissimum spirans odorem spectaculo jucundissimo fuit numerose concurrentibus, quo tempore præsentem opem ex inventi Antistitis juvamine alii in morbis, in angustiis alii recepêre. (i)

Et hæc sunt quæ vestris auribus Auditores impolita dictione breviter exposui, non ut majorem apud vos conciliarem Viro celeberrimo gloriam, sed ut virtutum memoria ad imitanda rectefactorum exempla incitarem. Conferunt enim non parum præclaris ingeniis gesta priscorum oculis ante-

(i) Scrobiss. in vitis Archiep. & alii Authores com-

posita, quæ nobis subdunt calcar & incitamenta quædam, ad eorum, quos laudari videmus imitationem. Equidem existimo Majores nostros, & orationes quæ in aliquorum funeribus sive quocunque die habeantur, non tam vita functorum laudes & gloriam ostendere, quam posteris acquirendæ virtutis eorum normam nobis præbere voluisse. Sit itaque Vobis Auditores stimulus ad sequenda sua vestigia Jacobi optima vivendi ratio, Tua vero Confessor Eggregie probitatis excellentia in universo orbe utinam quàm citiùs celebretur. Qui pro singulari Patrocinio ac tutamine, quod Civitati, Ordini, ac Regioni præbes, has tenerrimo corde Tibi dicatas theses non dedigneris suscipere, & Qui Provinciæ ac Leopoliensis Cænobii Prælatum egeras, nunc in Cælis pro omnibus solicitum age Patronum.





CONCLUSIONES THEOLOGICÆ EX *TRACTATU* DE RELIGIONE REVELATA.

I.

Divina Revelatio eſt neceſſaria ad perfectam Legis naturalis cognitionem.

II.

Cujus Revelationis Divinæ neceſſitas ad capiendam cognitionem aliquarum veritatum ſupernaturalium pluribus demonſtratur argumentis.

III.

Myſteria poſſunt nobis ad credendum proponi.

IV.

Quæ ſunt quidem ſupra rationem non tamen eidem opponuntur.



V.

Demonſtrari poteſt ex miraculis in Pentateucho contentis extitiſſe in Lege veteri Divinam Revelationem.

VI.

Cujusmodi Pentateuchi Traditio cum ab Ipſo Moyſe originem traxerit.

VII.

Sequitur ergo non alium Illius eſſe Authorem niſi ſolum Moyſen.

VIII.

Quoniam vero certum eſt omnes libros in Canone Eccleſiæ poſitos Divina pollere Authoritate.

IX.

Eorumque Scriptores fuiſſe à Deo inſpiratos.

X.

Hinc concludendum reſtat libros Tobiæ, Judith, Eſther, Job, Pſalmorum, Canticorum, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & duos libros priores Machabæorum pro Sacris & Canonicis ab omnibus haberi debere.



XI.

Doctrinam Christianæ Religionis, quæ in novo Testamento continetur Divinitus esse revelatam certissima Christi miracula, Ejusque Prophetiæ adimpletæ evincunt.

XII.

Et cum in hocce novo Testamento Libri Epistolarum S. Pauli ad Hæbreos, Jacobi, *2da* S. Petri, duæ posteriores Joannis, Judæ, & Apocalipsis Divina polleant Authoritate.

XIII.

Eorum Authores fuerint à Deo inspirati.

XIV.

Dicendum omnino venit & eos pro Sacris & Canonicis haberi debere.

XV.

Admittendæ sunt Divinæ & Apostolicæ Traditiones tum ad verum & orthodoxum Scripturæ sensum intelligendum, tum propter quædam fidei morumque capita quæ in verbo Dei scripto non continentur.

XVI.



XVI.

Sola Scriptura non potest esse supremus ac sufficiens fidei controversiarum Judex.

XVII.

Neque Spiritus privatus est legitimus Verbi Dei Interpres aut fidei controversiarum Judex.

XVIII.

Absurdum est etiam constituere humanam rationem Fidei controversiarum Judicem.

XIX.

Sed Ecclesia est legitimus & supremus fidei morumque Controversiarum Judex.

XX.

Ita ut in iis definiendis nunquam falli possit.

XXI.

Sequitur neminem posse sine crimine & salutis suæ damno vel unicuicunque dogmati fidei ab Ecclesia definito contumaciter contradicere.

XXII.

XXII.

Quoniam vero Concilia etiam Generalia rite ac legitime celebrata in condendis fidei morumque Dogmatibus errare non valeant.

XXIII.

Dicimus licet non ſimpliciter & abſolute, neceſſariam, utiliſſimam tamen eſſe Eorum Celebrationem Eccleſiæ.

Defendentur in Eccleſia Leopolienſi Sanctæ Crucis Ord. Minorum S. P. Franciſci Conventualium.

à P. B. HYPOLITO KOWNACKI

S. Theologiæ Auditore

ſub aſſiſtentia

A. R. P. PROTI OLSZEWSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris, ejusdemque Profeſſoris Die 20 Octobris 1779 Anno.

A. M. D. G.

occidit, indeque revers
Zwaszego venatui studen
Constat Polonos et mon
toribus, et Regibus fin
quove ordine aut fortun
literarum et scriptorum
gentiles caruere, penur
pag: 65. — W wydaney K
nie znayduie. Nie poiotar
choć swoie brat z Dłu
na rękopiśmie Galla nie
mego świadczenia Gall
głębiey za epokę przy
Krzywoustego sięgać. E
De Polonia et Duce
scribere, ejusque gratia
rum digna memoria
ne materiam incipiamne

ctoritate, qui in MSS. ad=
Christi DCXXXVI. notat
in modum ea aetate constrin=
ubium a Sclavis Mara=
Bulgaris, ex Dalmatia
nis in arctum cogerentur:
nd communis opinio, qua
rasse veluti pro certo ha=
m sententiam abripuit.

37.

noiam się nad liczbą, bez
ka III, i Samona, trzyma
aka. W Pamiętn: Warsz:
ył na tę myśl Xiążę Woje=
aski, jak można widzieć
. Sect: II. Popiera ją mocno
przytoczoney rozprawie: wszakże
za Franka, związał to

